DISQVISITIO INAUGURALIS PATHOLOGICO-PRACTICA,
DE
SENTENTIA PERVULGATA, QVOD OMNIUM MORBORUM ORIGO SIT IN VENTRICULO,
QVAM,
AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
AMPLISSIMO ORDINE MEDICO IN PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE DECERNENTE,
PRO LICENTIA
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME OBTINENDI,
SUB PRÆSIDIO
DN. JOANNIS FRIDERICI
DE PRE,
PHILOSOPHIÆ ET MEDIC. DOCT. FACULTATIS MED. ASSESS. ANAT. CHIRURG. ET BOTAN. P. P. ORD.
PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,
Publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit
AUTHOR ET RESPONDENS
JOHANNES HEINRICUS BERTRAMUS,
Calbenſis-Magdeburgicus,
AD DIEM XXIII. AUGUSTI, ANNI cIↃ IↃCC XIIX.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSVETIS,

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

PRÆMONENDA:

QVod Author iſte Anonymus Gallus in Tractatu le Medicin de ſoy même inteſtino recto tribuit, quod nempè ſit morborum quamplurimorum ſedes, locus & focus: Id potiori longè jure, & ratione magis propitia de ventriculo aſſeverare licet, quippè qui in centro corporis poſitus partibus cunctis tam internis, quam externis, adjacentibus, ſuperioribus & inferioribus adæquatum nutrimentum impertit, atque ſic cunctarum

quaſi radicem repræſentat; quemadmodum aliàs in Regno vegetabili omnes plantas vegetari & creſcere per ſuas videmus radices, à quibus divulſæ protinùs emoriuntur. Quapropter fortè minùs erravero, ſi ventriculum radicem corporis humani dixerim, quatenùs ille æque in ſtatu morboſo ac ſano primam & primariam operam navare debet, ut ingeſta quævis ſivè alimenta, ſivè medicamenta optimè permiſceantur, transmutentur & in ſubſtantiam chyloſam abeant, nunc conſervandi, nunc alterandi Oeconomiam humanam vim habentem; ſiquidem omninò certum eſt, quod medicamenta pariter ac alimenta ſuo modo debeant chylificari; Secùs effectus non reſpondebit voto. Quod altiùs mecum penſitans in veritatem illius dicti, quod ventriculum originem & cauſam omnium morborum ſtatuit, inquirere præſenti ſpecimine inaugurali placuit. Ut igitur propoſitum hocce ſuccedat proſperè, Divinum Numen humillimè imploro & Lectoris Benevoli æquum judicium expeto.

TH. I.

TH. I.

PArtes corporis animati, humani ſpeciatim, quadam inter ſe gaudere prærogativâ, aliamque aliâ principaliorem exiſtere inſtitutiones Medicæ docent: quænam verò inter illas principatum jure obtineat, adhuc hodienum verſatur in ancipiti, dum alii Caput, alii hepar, alii cor, ventriculum, alii partem principem dicere malunt. Et quidem ſi originem ſpectes, caput, hepar & cor, velut partes in ovulo concepto omnium primò evidentiùs formatæ primatum tenebunt: Sin neceſſitatem & utilitatem in homine exaſſe perfecto atque uterum maternum egreſſo ſpectes ventriculus reliquis palmam reddet dubiam. Etenim quî caput animare, cor circulare, hepar depurare ſine impedimento commodè poterit, niſi ventriculus ſuo optimè fungatur munere, atque chylificando, nutrimentum ſanguini, ſpiritibus partibusque ſolidis ſuppetitando illa juvet, ut functiones demandatas alacriter obire, continuareque valeant. Atque hinc, cum contrariorum eadem ſit ratio, dubio procul, illa ſententia orta eſt, quæ in ventriculo ſedem morborum perindè ac ſanitatis ſtatuit, quod quidem probabiliter ſatis dicitur: An verò idem omnium morborum origo, fons & cauſa dici mereatur? eſt, quod nobis nunc diſquirendum reſtat.

TH. II.

Antequam verò rem ipſam aggrediamur, anatomia & phyſiologica conſideratio ventriculi præmittenda videtur. Eſt ergò ventriculus ſubſtantia membraneo-fibroſo-glandularis, utriculam referens, atque duobus canalibus, ſeu orificiis ſupernè & infernè perviis digeſtioni alimentorum primariò, chylificationi ſecundariò inſerviens. Quibus verbis natura & ſtructura ventriculi exprimitur & perfectè definitur: Id enim, quod à *Celeberr. Wedelio Theorem. Med. Part. I. Sect. 4. §. 22.* legimus, nempè ventriculum eſſe quaſi retortam tubulatam, ubi chylus ceu quinta eſſentia aſſumptorum fiat evaporetque, vel ſtylo Hippocratico eundem vaſculum eſſe alimentum transmittens, & fecem retinens; deſcriptionis potiùs appellationem meretur. Scilicet ventriculus eſt cavitas triplici integumento, membraneo, carneo, fibroſo & glanduloſo circumdata, quorum primum, ſivè exterius à peritonæo ortum, velut plurima viſcera cingens, commune, reliqua verô propria huic viſceri appellantur, *vid. Williſ. Pharmacop. rational. p. 12. 13.* Quod autem quartam tunicam nervoſam concernit, cujus præter alios plures *Lang.* quoque *Oper. Med. Part I. pag 76* mentionem facit, ea nonniſi in ſuperiore ventriculi orificio locum invenit, & reliqui nervuli fundum ejusdem parciſſimè perreptantes, ceu octavi paris & plexûs meſenterici propagines, peculiarem tunicam minimè formare, ocula-

oculatior nobis anatomia detexerit. Quodſi enim integumentum ventriculi interius ex nervis eſſet contextum, neque in ſtatu naturali attritus particularum alimenti ſolidiorum, de quo inferius plura, citra ſenſationem moleſtam, neque vulneratio in ſtatu præternaturali citra convulſionem fieri poſſet, quod tamen experientiâ teſte aliter ſe habebere ſolet.

TH. III.

Conformationi prædictarum fibrarum pluribus immorari ſupervacaneum putamus, quippè ſive ſint rectæ, ſive transverſæ, ſive obliquæ nil intereſt, dum cunctæ robori atque facultati digeſtoriæ ventriculi famulantur; interea non negamus fibras transverſas potiſſimum in ventriculo, circulares in inteſtinis inveniri, *vid. Horn. Microcosm. p. 34. Barthol. Anat. reform. C. XI.* atque illæ ipſæ fibræ carneæ rugas ventriculi efformant, eundemque nunc coarctant, nunc dilatant, inſuper tomento quodam gelatinoſo, ſive tunica villosâ nonnullorum, per tunicam glanduloſam communicato obductæ ſunt & pro ventriculo lubricando & ab injuriis humorum acriorum muniendo inſervientes, *vid. Gliſſon. l. de ventric. & inteſtin. C. 24.*

TH. IV.

Canales alimentorum ingeſtioni & ſubſtantiæ

chyloſæ

chyloſæ egeſtioni dicati orificium dextrum, ſive inferius & ſiniſtrum, ſive ſuperius, ratione ſitus, appellantur, reſpectu verò ad officium habito, καρδία, & pylorus. Nempè juxta *Helmont. Tr. Scholar. Humoriſt. paſſiv. decept. it. Tract.* ſedes animæ ibi anima, ſi non rationalis, minimum, ſenſitiva reſidet, atque duumviratus camera poſita eſt: Hic janitorem collocatum dicit, invigilantem, ne nimis citò ventriculus recludatur, chylusque crudior ad inteſtina defluat. Quam quidem litem noſtram nunc non facimus, quippè à ſcopo noſtro alienam: licet quoad ſedem animæ *Helmontio* patrocinari queat notiſſimum illud: *Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.* Hinc pulchrè *Scaliger Exercit. 307.* una in nobis anima ſuis omnibus undique eſt ſtipata poteſtatibus, nempè eſſentialibus ſibi. Ubi verò inſtrumenta ſunt, ibi exercet actum ſuum ipſa poteſtas. Cui pollicem premit *Sperling. Synopſ. Anthropol. l. 1. C. 1. axiom. 3.* ſequentibus: Tota anima humana eſt, ubi eſt: Tota in toto & tota in partibus. Quidquid eſt & quidquid habet, id omne, id totum & in toto & in partibus habet. Æque intellectus eſt in pede, parte viliſſimâ, ac in capite, arce ſapientiæ. Æque voluntas eſt in ventriculo, ac in oculo; æque in abdomine ac in facie. Pes tamen nec audit, nec videt, quia ad actiones has prærequiruntur organa. Videt anima oculis, audit auribus, olfacit naribus. Ipſe quoque intellectus cum ſine corporeis objectis non poſſit initia-

ri

ri ſacris intellectionis, non agit, niſi his præſentibus.

TH. V.

Quod porrò arctiſſimam orificii inferioris occluſionem à cingulo fibroſo ſphincterem in pyloro æmulante inſtituto ex mente *Helmontii* attinet, quâ alimenta intra ventriculum per aliquot horas ad plenariam uſque chylificationem retineantur; illa refellitur partim authoritate *Mœbii Epit. p. 48.* continuò pylorum apertum probantis, partim experientia ipſa, quando obſervamus hoſpites in conviviis ſæpè per ſeptem horas ſine intervallo edere & bibere, tantaque quantitate alimentorum ſe onerare, cujus vel quartam partem ventriculus capere non poſſet, niſi inferius ventriculi orificium patulum exiſteret, per quod ſubinde & ſucceſſivè tantillum alimenti digeſti elabi pueat: Quid, quod continuus ſalivæ in ſtomachum defluxus & copioſi, digeſtione durante, vapores recluſionem, vel hiatum ejusmodi ſolidiſſimè evincunt.

TH. VI.

Ex quibus liquet chylificationem intra ventriculum inchoari quidem, ſed intra duodenum demum abſolvi, bile ibidem alterius fermenti vicem ſupplente. Videlicet ad præparationem chyli duo

requi-

requiruntur, comminutio & diſſolutio, illam attritus particularum intra ſubſtantiam rugoſam, motu ventriculi contractorio obſtetricante, hanc liquor gaſtricus, ſale volatili diſpoſitivè acido mediante præſtat: Ad depurationem verò chyli & perfectionem & conſiſtentiam fluidiorem fermentum bilis fluidumque pancreaticum requiritur. Etenim plicæ ventriculi à contractoriis tunicæ mediæ fibris carnoſis, tanquam manu fabri cujusdam lignarii aut ferrarii limam ſerramve ducentis, agitatæ, contiguam cibi continui ſuperficiem, per blanduiſculos deſtillatus acreditus ſenſim fricant & confricant, quo motu durante calor invaleſcit, qui & reciprocationes febrarum, & liquoris gaſtriei penitiorem admiſſionem valdoperè juvat. Quod autem ejusmodi attritu cibi in ventre ſubigantur, in hominibus quidem non tam cruda, quam cocta aſſumentibus, ut & in aliis animalibus dentium acie præditis obſcurius quidem; in pennatis verò arenulas eo fine recipientibus clariſſimè cernitur, ita, ut etiam in nonnullis avibus manifeſti lapillorum ingeſtorum ac invicem collidentium, ventriculo jejuno exiſtente, ſtrepitus, ſi aures prope admoveantur, percipi queant, aſſerente *Harv. de generat. animal. Exercit. 7.*

TH. VII.

Quæ cum ita ſe habeant, nulla exigit neceſſitas

tas ſtatuere reſolutionem alimentorum intra ventriculum cujusdam fermentationis interventu fieri, idemque fermentum hanc efficaciam ab acido domeſtico habere. Quidquid enim in gratiam prædictæ fermentationis à Phyſiologis paſſim profertur, & per autopſiam in ventriculo animalis poſt aſſumptum victum cultro anatomico ſubjecti *Anton. Nuck de ductu ſalivali novo p. 56.* confirmare nititur, negotium minimè exhaurit, quando quidem illo experimento probatur alcali & acidum in alimentis reſolutis præexiſtens, factâ diſſolutione à liquore gaſtrico in motus fermentativos inſurgere, imò intumeſcentiam illam ventriculi à ſolâ expanſione particularum alimenti rareſcentium à ſpirituoſa lymphæ ſtomachalis parte procurata oriri poſſe, cujus phœnomeni exemplum, præter ſolutiones chymicas quamplures, vel ex ipsâ culinâ, ubi pinguia & viſcoſa ſolâ etiam coctione intumeſcunt exitumque ex vaſe moliuntur, petere poſſumus. Ut prætereamus, acidum potiùs fermentationis effectum, quam cauſam exiſtere, id quod ex ſuccis dulcibus fermentatis, qui notabilem aceſcentiam ſpirant, evidentiſſimè liquet: Quid, quod acida pura nullis particulis viſcoſo dulcibus prædicta fermentationem magis inhibere quam promovere apta nata ſunt, quemadmodum hoc in fæcibus cereviſiariis aceſcentibus cereviſiæ recens coctæ fermentandi gratia permixtis, nec non in aceto deſtillato, aut ſpiritu vitrioli farinæ in panificio ci-

tra elevationem fermentativam immixtis quotidie cernitur. Atque hinc dubio procul Celebris ille Galliarum quondam Medicus Poterius anſam cepit hypochondricis, ſcorbuticis hyſtericis imo & phthiſicis dulcia acidulata, v. gr: conſervam roſarum vitriolatam præſcribere, ne ejusmodi ſubjectis ad fermentationes moleſtas valde proclivibus majorem moleſtiam crearet.

TH. IIX.

Speciatim fermentum ventriculi in ſtatu naturali & exactè ſano-acidum concipi, aut dici nequit, quoniam ejus origo & à lymphæ arteriarum ſpirituoſa & fibrillarum nervearum rore ad glandulas ventriculi extremitati illarum contiguas delato derivatur, *vid. Borrich. Volum. 1. Act. Hafnienſ. Obſ. 2.* quæ fluida verò citra inſignem ſolvecismum medicum acida dici nequeunt. Quid, quod nec lac coagulari, nec Syrupi violarum calorem, à leniſſimo cæteroquin acido protinus rubeſcentem, alterari ab hoc liquore cernimus, imò ſi *Celeberrimum Bohnium* audire placet, liquor iſte ventriculi in animalibus recens mactatis deguſtatus rariſſimè acidulus, quin potius blande amaricans actis compertus eſt, *vid. Circul Anatom. Progymn. 10.* Unde elegantiſſimum eſt ſupra laudati *Wedelii l. c.* effatum, quando inquit: Menſtruum ventriculi, ſeu fermentum alias, eſt ſalinum; inſipidum ad ſenſum, non

corro-

corroſivum, non acre, non acidum, in receſſu tamen ſingula hæc habens.

TH. IX.

Reliqua ex anatomicis & phyſiologicis huc facientia de induſtria præterimus, ad rem ipſam, cujus gratia hæc diſſertatio ſuſcepta fuit, propius nunc accedentes. Ut igitur palam fiat utrum omnium morborum origo in ventriculo ſit quærenda nec ne? diſtinguendum primò putamus inter morbos externos & internos, chronicos & acutos, malignos citra contagium & cum contagio, acutos ſimplices & inflammatorios: deinde vocabulum origo ab æquivocatione liberandum, nempè an ſubjective, an cauſaliter intelligendum ſit. Quibus præmiſſis audacter pronunciamus, ſententiam iſtam nonniſi in morbis internis iisque chronicis aut acutis, non inflammatoriis & malignis citra contagium locum invenire, atque in affectibus ventriculi idiopathicis ſubjectivè, in ſympathicis propriè & impropriè talibus cauſaliter, in vitiis primarum viarum in ſenſu ſtricto & proximò, reliquarum verò in ſenſu lato & remoto accipiendam videri. Quî enim in morbis externis, acutis inflammatoriis, malignis cum contagio, ſecundæ ac tertiæ digeſtionis erratis ventriculus accuſabitur, quando conſtat læſiones ab extra illatas, vel etiam ipſarum partium ſolidarum vitio domeſtico ortas,

ventriculo utcunque integro contingere: quando conſtat febres inflammatorias ventriculo etiam inſonte accendi: quando conſtat morbos malignos cum contagio indifferenter in homines perbellè ſanos & valetudinarios ſævire, imò illos, qui benè ingerunt, benè digerunt & benè egerunt vehementius citiusque ſæpe numero affligere, quod quidem omnium ſeculorum praxis in febribus peſtilentialibus, petechialibus Ungaricis exquiſitis, purpurâ, variolis & morbillis, quorum ultimorum ſemina in utero materno ſtatim infantibus communican- utcunque eorundem ventriculi optimè valeant, abundè teſtatur.

TH. X.

Quapropter rationi & experientiæ, quam maximè conſentaneum judicamus. Cacochyliam à cruditate acidâ ſimplici, acido auſterâ, acidô viſcidâ, nitrosâ, cum morbis hinc ſcaturientibus in ventriculo proximè, Cacochimiam biliosam, pituitoſam, acido-ſeroſam, ſalſam muriaticam cum affectibus hinc promanantibus, remotè nidulari, qua ratione veriſſimum eſt illud: ut calor & fermentum variat, ita & temperies ventriculi, & conſequenter concoctio. Item qualis appetitus tales vires, qualis chylus, talis ſanguis.

TH. XI.

Ex quo ſequitur, optime conſulere Medicus illos ſuis ægrotantibus, qui ſemper reſpiciunt ventriculum: Felicius evadere ægrotantes illos, qui ſemper habent ventriculum propitium. Quod ut obtineatur, conſultum eſt medicamentis roborantia, balſamica, aut auſteriuſcula blande adſtringentia nunc commiſcere, nunc interponere, quo ventriculus imbecillior firmus magis redditus laudabilem & balſamicum elaborare queat chylum in morbis diuturnis curandis omne punctum ferentem, juxta illud: Natura non medicamenta ſanat. Et cum ventriculi robur adſtringentibus multum invetur, quæ vel auſtera, vel acerba, vel acida exiſtunt, circa eorundem legitimum uſum commendatiſſimus eſſe debet ille *Galeni* locus, ubi inquit: Auſteris utimur, cum ob intemperiem calidam, vel nimiam humiditatem ventriculus eſt imbecillus: Acerbis (quæ maxime adſtringunt) cum intemperies & humiditas plurimum erunt auctæ: Acidis (quæ ſuccum habent frigidum ac tenuium partium) cum erit ſuccus craſſus & non multum frigidus, nam ſuccus frigidus non acida, ſed acria poſtulat. De cœtero graviſſimum eſt & cedro dignum *Wedelii* effatum *l. c. Part. 5. Sect. 7. §. 21.* ſtomachica, vel calorem reſtituunt, ſulphurea, balſamica, carminativa; vel fermentum ſalina acria & acida; vel laxitatem, tonica.

TH. XII.

TH. XII.

Quodſi medicamentis externis locus detur, fomenta calida humidiuſcula anticè & poſticè intra ſcapulas applicata & repetita plurimum proderunt, quorum vicem fèlicius longè ſupplebit catellus vivus, puellus, vel puella formoſa Regioni ventriculi applicata, obſervatis tamen cautelis à *Boneto l. 8. labyrinthi. Med. Extricat.* §. 19. 20. 21. fideliſſimè traditis. Quod verò cruditates anteà memoratas & has inſequentes affectus concernit, in acida medicamenta præcipitantia ſimulque blandè evacuantia; in auſtera ſalino-volatilia; in pituitoſa ſalina fixa aromatica; in nidoroſa ſimplici acido acria balſamica; in inflammatoria papaverina noſtratia humectantia cum nitratis & cinnabarinis combinata, opem præſtabunt herculeam.

TANTUM.